

ipsum in eodem persolvendo juvare conentur, ut citius ad portum appellere possit. Vid. Fab. con. fun. vi. 2.

VIII. Ex occasione thematis: « *Ingradies in abundantia in sepulchrum. Sicut infertur acerous tritici in tempore suo.* Jon. v. comparari potest sepulchrum horreo, et 1^o dici quod sicut triticum et palea simul in horreum portantur, ita et justi cum injustis in sepulchrum. 2^o Quod tritentur a morte, quæ, sicut Job. xviii. dicitur, *Calcat super illos, quasi Rex interitus.* 3^o Quod exultantur, et ventilentur a Deo, « Cujus ventilabrum est in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburent igne inextinguibili. » MAT. m. Excitentur proin Auditores, ut et ipsi ventilabrum in manus sumant, et paleas, si quæ adhuc defuncto conjunctæ sunt, excutere suis operibus studeant.

FONS IX.

Ex etate.

Hic fons, si xullis copiosissimam affert materiam pro exhortationibus, utpote, qui totidem particulares rivos, quot genera ætatis continet.

PRO INFANTE.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Videte, ne unum contemnatis ex his pusillis.* MAT. xviii. dicendum, quod olim Thraces et Frausi vicini habuerint consuetudinem plorandi in nativitate infantis, et gaudendi in morte illius. Hanc autem multo magis in morte Catholicorum et Baptizatorum observandam esse, atque adeo ob tres causas gaudendum. 1^o Quia certo Regnum cælorum possident; si ergo gauderent parentes et cognati, si forte Rex Hispanie aut Gallie Titium naturam ad se vocasset, atque in successorum Regni destinasset, etiam illum nunquam amplius viderent; quanto magis gaudere deberent, si eum a supremo Imperatore Deo vocatum, et Regem cæli constitutum esse credant? 2^o Quia Deus ipse et Sancti, tum alii Cælestes gaudent summe de morte talis infantis, quatenus numerum Sanctorum Deum laudantium auctum advertunt. Annon ergo his potius, quam imperfectis hominibus de morte tristantibus

conformare nos decet? 3^o Quia Deus magis illum diligit, quam parentes, magisque Patris nomen meretur, ut qui corpus et animam illi dederit; cum ergo haud dubie ideo mori, tam mature illum permisit, quia magis ad suam gloriam, et ipsius infantis bonum hanc mortem conducere advertit, cur non et parentes approbent hoc decretum, filioque majus bonum gratulentur, et gaudeant? Vid. Pist. *In dem allgemeinen Klaghaus* con. 1.

II. Ex occasione thematis: « *Placita erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* SAR. iv. afferri possunt causæ, cur Deus infantes immatura morte eripiat, quarum tres sunt potissime. 1^o Propter bonum infantis, ut eum a gravius malis eriperet. Hanc rationem Salomon SAR. c. iv. indicavit, dum ait: « Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. » Sic Rebecca Jacobum mittebat alio, ne eum per insidias Esau amitteret. GEN. XLVI. Et Josaba filia Regis Joram furabatur Joam filium Ochosie, et occultabat, ne ab Atalia occideretur. IV. REG. i. 2^o Propter bonum parentum; partim ut castigati propter peccata sua, quæ sepe ex occasione filiorum committunt, deinceps ab his desistant, sicut Davidem castigavit ereptione filii ex adulterio nati. II. REG. xii. et Valentem Imperatorem morte filii, quia eum hæreticos vocaverat: partim ne amore nimio liberorum ab amore Dei et salutis propriæ cura avocentur. Quam rationem S. Chrys. verbis his insinuat hom. vi. in Epist. ad Thess. « Quomodo non putas Deum irritari? Nam ob id ipsum perunivite filios aufert, ne ad illum modum illis alligatis, ut spem tuam ab eo auferas; remulor enim est Deus, et vult a nobis omnibus maxime diligere, idque ex ratione, quod tanto admodum vehementer amat. Propterea et Deus illum tibi abstulit. » Sic mariti mortem interpretata est Melania, quæ eo mortuo gratias Deo egit, et dixit: « Jam expeditis servitura sum tibi, Domine, quia tanto onere liberasti, » ut S. Hieronymus testatur AROC. xxv. 3^o Propter bonum aliorum hominum; ut discant mortem timere. Si enim in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Sic filii David videntes Amanum a fratre Absalone occisum, omnes consenderunt mulos suos, et ad patrem fugerunt; sic et pulli gallinæ videntes unum ab accipitre abrep-

tum, sub matris alas confugiunt. Vide Pistor. conc. u. et Fab. conc. fu. xxxii. n. 3. 4. et 5.

III. Ex occasione thematis: *Melior est dies mortis die nativitatis.* ECI. vi. ostendi potest, quam bene actum sit cum infante mortuo ob duplicem causam. Propter terminum, a quo discessit, scilicet a mundo, qui est miseriarum vallis et lacrymarum. Hinc et Plautus dicere solitus: quem Dii diligunt, adolescens moritur. Et Sylenus a Rege Mida interrogatus, quæ maxima esset hominis felicitas; respondit, nunquam natum esse, vel cito mori. Hinc et Jon. iii. et Jeremias Cap. xx. maledixerunt diem, in qua nati sunt. 2^o Propter terminum ad quem, scilicet propter beatitudinis possessionem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; de qua nunc infans securus est nec unquam redire cupit. Cur ergo et non parentes gaudeant, ibidem ipsum apulisse, quo ipsi venire tantopere desiderant?

IV. Ex occasione thematis: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* GEN. xxxvii. dici potest 1^o Evenisse videri patri hujus infantis, quod Jacobo olim contigit, dum ille multo verius, quam iste dicere potest: « Pera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph » (id est, mors repentina, quæ Filium sustulit.) Descendam itaque lugens ad eum ad Infernum. Ostendatur subinde lugendi causa ex qualitatibus infantis. v. g. pulchritudine, amabilitate, integritate, etc. 2^o Consolari poterit parentem dicendo venturum olim tempus, ut filium suum perinde ac Jacob suum Josephum recipiat, dicatque: *Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit, vadam et videbo eum.* GEN. xlv. Habeat proin patientiam, donec optatum tempus adveniat.

V. Ex occasione thematis: *Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me.* II. REG. xii. ostendi potest, quomodo se parentes genere debeant in liberorum morte. Et 1^o quidem, quod cogitare debeant, quod sepe liberi propter ipsorum peccata in matrimonio commissa puniantur, sicut filium David propter adulterium cum Bersabea commissum punivit. 2^o Quod possint merito dolorem concipere ob liberorum periculum, quia juxta commune proverbium: *Kinder kommen von Dertzen, und geben wieder zu Dertzen.* Atque adeo Deum pro salute eorum deprecari, sicut David deprecatus est pro parvulo, et jejunavit, et super terram jacuit.

3^o Quod, si mortuus est filius, non debeant immodice lugere, sed divine ordinationi et voluntati se submittere, sperantes, quod aliquando sint ad ipsum venturi. Sic David post mortem Filii lotus et unctus est, ingressus est domum Dei, adoravit, venit in domum suam, petiit panem, consolatus est uxorem suam, et prudenter respondit mirantibus: *Nunc quia mortuus est, cur jejunem?*

VI. Ex occasione thematis: *Exaudivit Dominus vocem Elie, et reversa est anima pueri in eum, et revicit.* III. REG. xvii. ostendi potest, quod idem fere parentibus defuncti infantis contingat, quod scilicet gravissime sentiant filii mortem, et quodammodo querantur ad Deum: « Quid mihi et tibi, o Deus, nunquid ingressus es ad me, ut remunerarentur iniquitates meæ, et interfiores filium meum? » 2^o Quod Christus post mortem in lectulo seu sepulchro eum posuerit, ibique trina vice expanserit se super puerum, quatenus ei assimilatus est, in utero per conceptionem, in vita per nativitatem, in morte per resurrectionem. 3^o Quod anima hujus infantis suo tempore reversura sit ad corpus, ipseque a Christo restituendus sit matri suæ, dicendumque: *En revicit filius.*

PRO ADOLESCENTE.

VII. Ex occasione thematis: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* SAR. ii. Vel *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est;* ibidem dici potest, quod infanti huic acciderit vere, quod Ganymedi olim contigisse falso et fictitie fabulæ narrat. Potes ergo comparari felicitas adolescentis hujus cum Ganymede ex triplici capite. 1^o *Ex dignitate raptus;* cum ille raptus sit a Deo vero et summo Domino, ille a falso. 2^o *Ex finis præstantia;* propter quem raptus est, non ut ministret, sed regnet; non ut pocula et epulas alteri porrigat, sed ipse fruatur, et gustet; non ut vultu suo Deum recreet, sed ipse Dei aspectu summe delectetur. 3^o *Ex loci, ad quem raptus est, amoenitate et pulchritudine;* de quo dixit David Ps. lxxxiii. « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; » unde inferendum, si olim Ganymedes beatus reputatus est ob talem raptum, et nemo non illi sortem suam, licet fictitiam gratulatus est; quanto magis conveniat tristitiam moderari

ob raptum defuncti adolescentis, suamque illi verissimam et summam felicitatem gratulari?

VIII. Ex occasione thematis: *Doleo super te, frater mi, Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum, sicut mater unicum amat filium, sic ego te diligebam.* II. REG. I. ostendi potest: Quod justus dolor concipiatur ex defuncti mortē. Eo quod decorus nimis et amabilis fuerit propter varias dotes et qualitates: v. g. Ingenium, formam, corporis indolem, profectum in scientiis, et virtutibus, quales oportet breviter commemorare. 2^o Dicitur potest hoc ipso, quod tam amabilis fuerit, mature subtrahendum fuisse; ne corrumperetur, sicut bonus paterfamilias maturos fructus decerpit, ne computrescant: pater videns filium in periculo versari inter exterarum nationes, mox revocat in patriam: hortulanus flores teneros et delicatos in cella recondit, ne frigore perimantur. Itaque magis gaudendum, quam tristandum.

IX. Ex occasione thematis: *Ecce efferebatur filius unicus matris suae.* LUC. VII. ostendendum varios assignari portatores, qui adolescentes ad sepulchrum deportent, bonos scilicet et malos. Et 1^o quidem pro malis plerumque assignari hos quatuor inobedientiam, luxuriam, gulam, temeritatem, de quibus videri potest Fab. Dom. 15. Pente. con. xxxi. Quos tamen in defuncto adolescente non reperitos fuisse probetur. 2^o Pro bonis assignari voluntatem seu gloriam Dei, merita adolescentis, commodum parentum, utilitatem in alios tum senes, tum praecipue adolescentes ex tali morte redundantem, quae proin causae breviter ostendantur.

X. Ex occasione thematis: *Et dedit illum matri suae.* Ostendi potest, quantum solatium capere debeat mater adolescentis; alique cognati ex eo, quod sperare et ipsi possint, quod Christus iterum daturus sit hunc adolescentem, non jam mortalem, ut illi matri dedit, sed immortalem; non variis miseriis subiectum, sed innumeris deliciis affluentem; non periculis salutis expositum, sed de felicitatis suae perenni duratione securum. Quam merito proinde dicatur matri: *Noli flere;* et illud S. Pauli THESS. IV. « Nolumus ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, et sicut et ceteri, qui spem non habent. »

XI. Ex occasione thematis: *Mortuusque est Aran ante patrem suum in terra natalitatis suae in Ur Chaldaeorum.* GEN. II. POSSUNT

tres saluberrimae doctrinae afferri. 1^o Quod iste Aran primus fuerit, qui ante patrem mortuus est et hoc S. Scriptura tam signanter notavit, ut innumeret mortem nemini parere, juxta notum illud: « Mors servat legem, tollit cum paupere regem. Nullus enim emollit, juvenem una cum sene tollit: contra vim mortis non est medicamen in hortis. Wann Gott will, ist unser Zill. » 2^o Quod specialiter etiam S. Scriptura commemoret, eum in patria esse mortuum inter suos, ut hoc pro speciali beneficio agnoscendum esse indicaret. Hinc Deus JER. XXII. minatus est tamquam gravem poenam: « Et mittam te, et matrem tuam, quae genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. » Certe magna est consolatio a suis oculis claudi. 3^o Quod mortuus sit in Ur Chaldaeorum, id est, in gratia et charitate (nam Ur ignem significat) et ideo beatus juxta illud: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. » APOC. XIV. Wohl sterben, ist nicht verderben. Der gute Tod hilft aus der Noth, andere Zeit, andere Freud.

XII. Ex occasione thematis: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* MAT. IV. dicitur potest, sicuti fructus alii citius maturescunt, atque adeo citius decipi debent, ita et hominibus idem evenire. Talem autem fructum fuisse defunctum adolescentem, utpote quem maturum caelo fuisse colligi potest ex tribus indicis, ex quibus pomorum et aliorum fructuum maturitatem colligere plerumque solemus. 1^o *Ex colore:* per quem modestia externa intelligitur, quae qualis fuerit in hoc adolescente, per partes ostendatur. 2^o *Ex odore:* per quem bonum exemplum intelligitur, quod tam sui similibus, quam aliis, et praecipue parentibus dedit, dum studuit proficere aetate, sapientia, et gratia, ita ut jure de eo dicere possit parens cum Isaac. GEN. XXVII. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 3^o *Ex sapore,* per quem intelligi potest vite innocentia, quia nil puerile, aut non fatis excoctum, id est, passionum inordinatarum habebat.

PRO PUELLA VEL VIRGINE.

XIII. Ex occasione thematis: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* II. COR. II. ostendi potest non habere parentes causam plorandi, cum filia Sponso opta-

tissimo, scilicet Sponso coelesti seu Christo desponsata, et jam in thalamum introducta sit, ut pie credere fas est. Describatur qualis sit Sponsum per conditiones in Sponso plerumque requiri solitas a Sponso, videlicet. 1^o Ut sit pulcher. 2^o Ut dives. 3^o Ut nobilis. 4^o Ut sapiens. 5^o Ut sanus. 6^o Ut amabilis et mansuetus. Quae omnia in Christo facile erit ostendere. Claudatur exhortatio illis verbis. APOC. XIX. « Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae, et uxor ejus preparavit se. »

XIV. Ex occasione thematis: *Et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* MAT. XXV. ostendi potest, quam merito defuncta virgo ad nuptias caelestes evocata sit. Quia scilicet parata erat. Et 1^o quidem tota mundata in balneo penitentiae; ita ut dicere de ea Sponsum possit: « Tota pulchra est amica mea, et macula non est in te. » CANT. IV. 2^o Quia ornata aureo vestitu charitatis: de quo PSALM. XLV. « Adstitit Regina a dexteris tuis in vestitu deaurato. » 3^o Quia pretiosis monilibus variarum virtutum erat ornata, de quibus S. Agnes, ut in officio illius videro est, dixit: « Dexteram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inestimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus et crouscantibus gemmis. » Claudenda proin erit exhortatio, et dicendum, quod filia parentes suos perinde, ut olim S. Agnes de coelis apparens, suos alloquatur: « Ne me mortuam parentes lugeatis, quia una cum his virginibus vivo apud illum in caelis, quem in terris dilexi. »

XV. Ex occasione thematis: *Simile est regnum caelorum decem virginibus.* MAT. XXV. ostendi potest, quod merito defuncta in caelum intrinseca credatur. 1^o Quia virgo erat, et suae virginittatis conservandae singularem curam gerens, diligenter fugiendo otium, malas occasiones, et societates. 2^o Quia prudens erat, diligenter considerando, quanto satius esset Christum, quam alium sibi in Sponsum assumere, utpote qui solus, teste Sponso CANT. V. candidus et rubicundus, electus ex millibus est. 3^o Quia lampadem cordis paratam, et oleo Charitatis accenso bene instructam habebat; unde oportebit ostendere, quomodo hanc charitatem erga Deum et proximum ostenderit, itaque gratulandum ei potius, quam ex ejus discessu tristandum sit.

XVI. Ex occasione thematis: *Surgam, et circumibo civitatem per vicus et plateas, et*

queram, quem diligit anima mea. CANT. III. explicari potest ardentissimum virginis desiderium, quo Christo copulari per amorem desideravit, simulque causae explicari, ob quas tantopere cum amaverit, scilicet propter eas, quas S. Agnes indicaverat, dum dixit: « Amo Christum, in cujus thalamum introibo, cujus mater Virgo est, cujus pater feminam nescit. Cujus mihi organa modulatis vocibus cantant; quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum: ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum promisit. » Excitandi proin Auditores, et praecipue virginis, ut et ipsae hunc Sponsum elegant, dicuntque sibi ab eo putent, quod I. REG. C. I. Elcana uxori suae dixit: « Numquid tibi non ego melior sum, quam decem filii (aut Sponsi); » dicant proinde cum S. Agnete: « Te confiteor labiis, te corde, et totis viribus concupisco. »

XVII. Ex occasione thematis: *Esther quae inter alias puellas tradita ei est, ut servaretur in numero faeminarum, quae placuit ei, et invenit gratiam in conspectu illius.* ESTHER. II. dicit potest defunctae virginis evanescere quod olim sacri fasti Estheri contigisse memorat; nam et Deus 1^o Quaei jussu puellas, id est animas speciosas, quae loco Vasthi, id est Luciferi, seu Angelicis rebellisve naturae ei copularentur. 2^o Ut Esther non quavisit mundum muliebrem, id est, vanum et saecularem, sed naturalem, id est, a ratione, et fide sibi dictata pulchritudine seu innocentia vitae contenta, placuit Deo pro aliis puellis sive animabus, ideoque jussit is accelerari preparationem illius, et dedit illi socias septem puellas speciosas, id est, tres virtutes Theologicas, et quatuor Cardinales. 3^o Ut Esther ducta est post mortem a suo Angelo Custode ad cubiculum supremi Regis, et adamavit eam Rex plus, quam omnes mulieres. Habuit gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et postulat diadema regni in capite ejus, dixitque: « Que est petitio tua Esther, ut detur tibi et quid vis fieri? Etsi dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi. » Itaque gaudendum cum Mardocheo ob talem filiae assumptionem negotiaque ei nostra, quae coram Deo feliciter transacta cuperimus, commendanda.

XVIII. Ex occasione thematis: *Heu me filia mea decepti sunt, et ipsa decepta es.* JER. IV. narrari imprimis potest historia de

filia Jephthe Deo immolata, et tres ex ea doctrine eruent. 1^o Quam vere dicere possit parens defuncta: Decepisti me, et decepta es. Quia nec ego, nec tu, nec alii putabant, te tam cito mortuam unde merito mors inexpectata accidit. Vid. Drex. in prod. c. I. § xx. 2^o Quod, sicut Jephthe eam diligenter offerebat Deo: quia sic Deum per voti Religionem ab eo exigere arbitrabatur, ita et parentes, quia sic Deus exigit, libenter filiam suam eidem in Sponsam offerre debeant, eique tantam felicitatem gratulari. 3^o Quod, sicut filia Jephthe, antequam Deo immolaretur, in sylvis flevit duobus mensibus, ita fortassis et filia hæc in purgatorio defleat, et luat præteritam vitam suam; atque adeo excitandi Auditores ut comitentur illam, et fleant cum illa, donec redeat ad Patrem suum cælestem, ibique Deo tota consecratur, et desponsetur.

XIX. Ex occasione thematis: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac.* GEN. xxii. potest in filii vel filia unigenitæ morte ostendi quam præclaram habeant parentes occasione, Abrahamum, in immolatione filii, imitandi, imo superandi. Itaque dictum sibi primo putent: Tolle filium vel filiam tuam, quam diligis. 2^o Consurgant, ligent filium et ponant in sarcophago, velut lignorum strue. 3^o Extendant manum, arripiant gladium egregie conformationis cum divina voluntate, dicantque cum Jobo: « Dominus dedit hunc filium vel filiam: Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum. » 4^o Sperent se a Deo audituros: « Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, et non perperasti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli. »

PRO MARITO.

XX. Ex occasione thematis: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam.* ECCL. xi. probari potest, quam grave jugum ferant conjugati propter morum diversitatem, alimentorum difficultatem, liberorum carentiam, vel malos mores eorumdem, sanctorum inobedientiam et infidelitatem, separationem in morte, ubi tanto gravior est dolor, quanto major præcessit amor, juxta notum illud: *Was hertz, das schmerzt. Was liebt, betrübt.* 2^o Inferri potest, cum ab hoc onere morte

uterque conjux liberatus sit, et maritus insuper, ut spes est, ad æternam quietem in cælis capiendam admissus, quod non modo tristari non debeat uxor ob mariti obitum, sed gaudere cum Melania Romana Matrona, quod nunc expeditius sibi et Deo vivere, et servire queat.

XXI. Ex occasione thematis: *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis cibum in tempore suo?* MATH. xxiv. ostendi potest quam perfecte defunctus officium boni patrisfamilias gesserit. Et 1^o quidem, quam fidelis fuerit respectu Dei in mandatis ejus exacte observandis, et perfecta conformatione voluntatis sue cum divina in omnibus casibus, præcipue mortis tempore. 2^o Quam prudens fuerit respectu sui, quatenus scilicet ita aliorum curam gessit, ut nam salutem propriam omnibus præferret: ita temporalia administravit, ut omnia ad spirituale et æternum lucrum per bonam intentionem dirigeret. 3^o Quam fuerit liberalis et sedulus in familia regenda, providendo non modo corporalem cibum refectionis, sed etiam spirituales solidæ instructionis et paternæ correctionis in tempore suo; unde non dubitandum esse, quin Deus nunc juxta promissionem suam super omnia bona eam constituerit, atque adeo omnes ei gratulari et congaudere debeant.

XXII. Ex occasione thematis: *Pater noster, qui es in cælis.* MATH. vi. Ostendendum, quod liberi et amici nunc post mortem dicere possint, quod B. Aloysius post mortem dicere possint, quod B. Aloysius post mortem dicere potero: Pater noster, qui es in cælis: « Itaque probari poterit, quod patris officium de cælis perfectius erga eos sit obituum, quam in terris fecerit. 1^o Quia magis ibi eos diligit, cum non Dei charitas dumtaxat, sed proximi etiam, et propinquorum innumeris partibus sit aucta. 2^o Quia clarius cognoscit eorum miseriam, et necessitatem, magisque estimare novit, maxime salutis incertitudinem, et æternæ mortis incurrendæ periculum. 3^o Quia potentior est ad succurrendum, cum preces ipsius et ardentiores sint ob affectum; et Deo gratiores propter perfectionem: quare gaudendum potius de patris et amici obitu, quam dolendum, eique cura sui et suarum rerum toto pectore committenda.

PRO UXORE.

XXIII. Ex occasione thematis: *Ece Mater tua.* JOAN. xix. Narrari potest ex spectulo exemplorum pulchra illa historia de matre, quæ, cum filios suos alere se posse diffideret, ambos in templum duxit, suumque in illos maternum jus Virgini Matri transcripsit, et mox mirabiliter illis prospectum vidit, ut in cit. Spec. IV. ex. cxvii. narratur. Unde dici potest, quod mater defuncta idem respectu liberorum suorum faciat, atque adeo hi non immoderate tristari, sed potius de meliori matre gratulari sibi debeant, et ad eam deinceps confugere.

XXIV. Ex occasione thematis: *Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Ps. xxvi. dici potest, quod mater defuncta non imitari videatur struthionem (*einen Straussen*) qui, cum ova sua parit, foveam in arena facit, eaque sabulo operit, solique excoquenda relinquit. Quod, ubi est factum, pullusque perfectus prodit, tum demum mater denuo ipsum cum gaudio cognoscit, et nutrit. Simili ergo modo mater liberis suis Deo committit, illaque ad eos verba S. Pauli c. v. usurpat: *Humilissimi sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, sollicitudinem vestram proficientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Excitandi proinde liberi ad fiduciam erga hanc suam matrem concipiendam; reliqui vero Auditores ad exemplum hujus matris imitandum.

PRO VIDUA.

XXV. Ex occasione thematis: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* I. TIM. v. ostendi potest, quam vere vidua fuerit, quæ defuncta est imitando turturum, quæ plerumque pro exemplo viduis proponitur. Et primo quidem, quod post obitum mariti non amplius nupsit, ut Deo facilis servire posset. 2^o Quod, ut turtur perpetuo gemerit, id est, orationi et celestibus suspiriis vacaverit. 3^o Quod ut turtur nulli amplius viridi ramo insederit, id est, omnes vanitates mundanas repudiaverit, solas cælestes delicias consecrata. Quæ omnia fusius proponi et exemplis illustrari possunt. Vide Pist. conc. fun. xvi.

XXVI. Ex occasione thematis: *Latilque eam omnis populus diebus septem.* JEREM. xvi. dici potest, quod merito etiam Auditores lugendi causam habeant, eo quod alteram Judith in vidua defuncta commiserit; nam 1^o et ipsa virtuti castitatem junxerat, dum, ex quo vir ejus defunctus est alium virum non cognoverit. 2^o Quia et ipsa cum suis puellis diligenter clausa morabatur, et jejunio ac orationi indesinenter vacabat. 3^o Quia timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. 4^o Quia Holofernem longe potentiorum, scilicet varios sollicitatores ad libidinem vel matrimonium generose superavit. Ob quam causam merito ei suo modo acclamari poterat: *Tu Gloria Jerusalem: tu lectitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

PRO SENE.

XXVII. Ex occasione thematis: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiarum reperitur.* PROV. xvi. dici potest merito coronam dignitatis vocari senectutem in via justitiæ consumptam, quia triplici ex titulo eam meretur. 1^o Propter senectutem naturalem, de qua dixit Ecclesiasticus c. viii. « Ne spernas hominem in senectute sua; etenim ex nobis senescunt. » 2^o Propter senectutem moralem, de qua dixit Salomon. SAP. iv. « Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata; cæpi autem sunt sensus hominis; et cætas senectutis, vita immaculata. Consummatum in brevi explevit tempora multa. » 3^o Propter senectutem æternam, de qua AROC. v. « Et vidi, et ecce in medio throni, et quatuor animalium, et in medio seniorum, id est, Sanctorum, Agnum stantem. » Excitentur proin Auditores ad honorem ultimum exhibendum, quæ est sepultura Christiana, id est, cum auxilio spirituali conjuncta.

XXVIII. Ex occasione thematis: *Timor Domini opponet dies, et anni justorum abbreviantur.* PROV. x. ostendi potest, quod, etsi senectus per se sit venerabilis, multo tamen per se sit honorabilior, si ex tam bona et honorata radice, scilicet timore Domini proveniat, esse autem timorem Domini causam longæ vitæ, colligitur ex triplici causa. 1^o Quia Deus est, qui habet vitæ et mortis potestatem, et deducit ad portas mortis, et reducit: uti SAP. xvi. dicitur. 2^o Quia, ut

ibidem dicitur, homo per malitiam suam occidit animam. Et ut S. David Ps. lrv. ait: « Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos, atqui timor Domini expellit peccatum, » teste Eccl. cap. i. Hinc Moyses DEUT. xxx. sic allocutus est Israelitas: « Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum. Et diligas Dominum Deum tuum, et obedias voci ejus, et illi adhaereas. Ipse enim est vita tua, et longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis. » 3^o Quia « Timebit Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum Deus conservabit, et liberabit a malis, » ut Ecclesiasticus cap. xxxiii. ait: Hinc Salomon Prov. iii. hoc hortatur: « Time Dominum, et recede a malo; sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossibus tuis. » Gratulandum proinde defuncto ob tam honestum senectutis titulum. Atque ad eundem titulum Auditores excitandi.

XXXIX. Ex occasione thematis: *Et (Abraham) mortuus est in senectute bona, provectaque ætate, et plenus dierum congregatus est ad populum suum.* GEN. xxv. dici potest hoc fuisse pulcherrimum Abrahami elogium, omnibusque notandum; videri autem non immerito etiam attribui ipsi defuncto. 1^o Quia et ipse mortuus est in senectute bona, id est, honorata; nam, ut supra ex Prov. dictum; « Corona dignitatis senectus, que in viis justitiae reperitur, » et, ut, idem Sap. iv. ait: « Senectus est ætas venerabilis vita immaculata. » 2^o Quia et in protracta ætate mortuus est, id est, procul vecta, dum non tantum in ætate, sed etiam sapientia, gratia, et meritis quotidie crescere studuit. 3^o Quia plenus dierum, id est, meritorum tam apud Deum, quam apud homines discessit; ita ut merito illi applicetur, quod S. David Ps. lxxii. dixit: « Et dies pleni inveniuntur in eis; » non vero menses vacui, de quibus Job. cap. vii. locutus est. Itaque excitandus Auditor, ad plenam etiam laudem defuncto tribuendam, et imitationem procurandam.

PRO ANU.

XXX. Ex occasione thematis: *Vixit autem Sara centum et viginti septem annis, et mortua est.* GEN. xxiii. Dici potest videri

hodie alteram Saram mortuam. 1^o Quia et ipsa defuncta erat Sara, id est, *Domina* suarum cupiditatum, et *adorans* seu *boni odoris* per bonum exemplum dati. 2^o Quia ut Sara implebat illud S. Petri I. c. iii. « Quorum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumentis vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti Spiritus, qui est in conspectu Dei locuples, sic epim et sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se. » 3^o Quia sicut Sara obediebat Abrahamo Dominum cum vocans, ibid. ita et ipsa suum maritum honorabat, eique in omnibus obediebat. Hinc et Apost. Coloss. iii. « Mulieres subdite estote viris, sicut oportet in Domino, imo sicut Domino, et sicut Ecclesia est Christo subiecta. » EPH. v. 4^o Quia ut Sara erat maxime patiens in sterilitate, et in improperiis ancille portandis, et in imperata immolatione filii unigeniti, ita et hæc anus in adversitatibus viri, asperitate morbi, morte, etc. Itaque sicut Abraham luxit Saram; ita etiam merito sui, hæc anus, sed ita, ut observetur illud Eccl. xxii. « Modicum plora super mortuum, quoniam requievit. »

FONS X.

Ex variis statibus.

Hic fons merito inter copiosissimos censeri potest, ut qui plurimos alios, eosque uberimos fontes in se comprehendit, ex quibus tamen tantum potiores seliguntur, et ex quibus unus alterve conceptus eruetur. His enim non erit difficile plures ejusmodi conceptus invenire.

PRO SACERDOTE.

I. Ex occasione thematis: *Ascenditque Aaron Sacerdos in montem Hor jubente Domino, et ibi mortuus est.* NUM. xxxiii. Potest Sacerdos mortuus Aaroni comparari ob triplicem causam. 1^o Ob electionem, quia et ipse designatus est Sacerdos per potestatem Sacerdotalem tanquam virgam, ex qua turgentibus gemmis honorum operum erupunt flores variarum virtutum (quarum alique recenseri possunt) et foliis dilatatis in amygdalas, id est, solatium proprium, et

subditorum formati sunt, vid. n. xvii. 2^o Ob officium, quod gerebat, scilicet, ut esset Socius Moysis (id est, Christi) nam et de ipso dicebat quasi Deus ad Christum quod Moysi Exon. c. iv. dixerat: « Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum: tu autem eris ei in his, que ad Deum pertinent. » Hinc tam sancte et caste eloquia Dei tractavit; item offerebat Sacrificia, et incensum suavissimum orationis, que facile etiam Sacerdoti defuncto applicari possunt, simulque ostendi, quod longe perfectius hæc omnia officia exercuerit. 3^o Ob mortem: quia et Sacerdos, in montem Hor, id est, perfectionis ascendere jussus est cum Aaron, ibique libenter mortuus est, usurpans illud Simeonis LVC. n. « Nunc dimittis servum tuum, Domine, quia toties non viderunt » tantum, sed etiam tetigerunt, et gustaverunt oculi et sensus mei salutare tuum.

II. Ex occasione thematis: *Servit autem Jonatha plenus dierum, et mortuus est.* II. PAR. n. pulchre comparari potest Sacerdos Jonathæ. 1^o Quia refecti, et instaurari curavit domum ad cultum Dei, ut I. c. legitur. 2^o Quia erat plenus dierum, id est, meritum erga Deum propter legitimum cultum; erga Ecclesiam propter fidelitatem in defendendis caeremoniis et fide Catholica; erga Parochianos propter fidem administrationem officii: erga suos domesticos et consanguineos propter sincerum et paternum amorem. 3^o Quia et ipse cum Regibus (Sacerdotibus) in civitate David, id est, Ecclesia, ubi Christus velut verus David in throno suo, id est, hierophylacio sedet, et regnat, sepultus est.

III. Ex occasione thematis: *Memento prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis imitamine fidem.* HEBR. xiii. excitari possunt Auditores, ut, cum defunctus Sacerdos toties pro ipsis et aliis memento in SS. Sacrificio Missæ fecerit, etiam ipsi nunc et deinceps tria in ipsius solatium memento facere, ne graventur. 1^o Memento gratitudinis, in memoriam revocando beneficia ab eo accepta. Quam fideliter Sacramenta administrari; quam zelose et utiliter verbum Dei predicari; quam impigre et constanter diu noctaque adstiterit. Dicant proin cum S. David Psal. cxv. « Quid retribuam ei pro omnibus, que retribuit mihi? Calicem salutatis accipiam. » 2^o Memento invitationis juxta illud HEBR. xiii. « Quorum intuentes

exitum conversationis, imitamine fidem, in ea perseverando: » spem, nunquam eam deferendo; charitatem, totis viribus eam procurando: humilitatem, eam constanter exercendo: itaque sibi dictum ab eo velut e sepulchro credant illud S. Pauli I. Cor. iv. « Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. » 3^o Memento subventionis: ut scilicet, sicut is toties in necessitatibus subvenit verbo et opere; ita et ipsi nunc mutuas vices exhibere, ne graventur, ideoque credant sibi nunc dictum illud S. JOAN. I. c. iii. « Filioli mei, non diligamus verbo et lingua, sed opere et veritate. »

IV. Ex occasione thematis: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* JOAN. x. ostendi potest, quam bene, officio Pastoris functus fuerit defunctus Sacerdos. 1^o Quia vere poterat dicere: « Ego cognosco meas, et cognoscent me meæ. Hinc tam sollicitè indagavi statum ejuscumque et miserias; hinc etiam in tanta veneratione a suis ovibus est habitus. 2^o Quia diligenter pavit verbo Dei, exemplo, et Corpore Christi, et eduxit ad fontem aque salientis in vitam æternam per sedulam administrationem Sacramentorum. 3^o Quia dum eas ad ovile Christi duxit, ibat ante eas, id est, que facienda dicebat in concionibus, prius proprio exemplo docebat, et confirmabat. 4^o Quia fortiter defendit contra leonem, Diabolum circumventum et el quarentem, quem devoret; contra lupos, id est, homines malos, præcipue Hæreticos et malos socios et in his laboribus animam posuit. Unde excitandi Auditores, ut vel nunc Pastorem suum agnoscant, vocem ejus auxilium invocantis audiant, et sequantur, saltem affectu usque ad purgatorium, et ibi pariter animam suam ponant pro eo, satisfactiones suas, quibus se a purgatorio liberare poterant, eidem applicando.

V. Ex occasione thematis: *Et vidi, et ecce nubes magna et ignis involvens, et splendor in circuitu ejus, et in medio ejus similitudo quatuor animalium.* EZECH. c. i. ostendi potest defunctum merito illis quatuor animalibus ab Ezechiele visis comparari. 1^o Quia habet faciem hominis propter singularem humanitatem, qua cum singulis agebat: bovis propter labores tam fortiter et constanter exantillatos: leonis in peccatoribus terrendis, difficultatibusque superandis: aquilæ in perspicendis veritatibus celestibus, aliisque rebus ad officium pertinentibus. 2^o Quia in eo erat ignis involvens, sci-

servati. II. TIM. IV. ostendi potest, quod hominum certamen certaverit miles defunctus ex triplici capite. 1^o *Bonitate finis*: quia non propter vanam gloriam aut lucrum temporale, sed propter defensionem glorie divine, fidei et patrie pugnavit. 2^o *Bonitate justitie et charitatis*: quatenus observavit illud monitum S. Joannis Baptiste militibus datum Luc. III. «Neminem concutiat, neque calumniam faciat, et contenti estote stipendiis vestris.» 3^o *Bonitate fortitudinis* in aggrediendo, repellendo, vincendo hoste, quam adeo merito repositam habuerit coronam justitie a Domino reddendam in die judicii.

XV. Ex occasione thematis: *Regnum colorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. MATTH. II. ostendi potest, quomodo defunctus vim celo intulerit. 1^a Ascendendo per scalam manitorum Dei. 2^a Ignem charitatis injiciens. 3^a Cuniculos humilitatis fodiendo. 4^a Globis orationis muros quatendo. 5^a Tormento (*Morsus*) mortificationis et abnegationis propria portas effringendo. Que omnia fuis per exempla demonstrari possunt.

XVI. Ex occasione thematis: *Qui sequitur justitiam, et faciet misericordiam, inveniet vitam, justitiam et gloriam*. PROVER. XXV. ostendi potest, quomodo defunctus exercuerit triplicem justitiam, *legalem* erga Deum et coelites per Religionem, erga superiores per obedientiam, erga parentes et liberos suos per pietatem, erga subditos per mansuetudinem et clementiam: *Communitivam* inter partes ad judicium venientes, ubi ob oculos habuit monitum Josaphat. II. PAR. X. «Videte quid faciat, non enim hominis exercetis judicium, sed Dei, et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.» Hinc Atheniensis noctu judicabant, et ante sedem judicis imaginem oculis et manibus parentem ponebant: *Vindicativam* in delictis puniendis. 2^o Quomodo misericordiam sociavit, pauperum causas prompte suscipiendo et sine respectu potentum judicando, damnatis compatiendo, ita ut vere locum haberet illud Ps. LXXXIV. «Misericordia et veritas obviaverunt sibi. Justitia et pax osculate sunt.» 3^o Quomodo vitam (temporalem et eternam) justitiam (apud Deum, qui ei tribuit coronam justitie, et de adversariis vindicabit) et gratiam apud Deum et homines repererit.

XVII. Ex occasione thematis: *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo*. PS. XVI. dici potest iudicibus et magistratibus commissum esse corpus Christi custodiendum, sicut olim Pilatus Judas MATTH. XXVII. dixit: *Ite, custodite, sicut scitis*. Atque adeo debere eos esse armatos sicuti milites apud sepulchrum Christi vigilantes pinguntur. Et 1^o quidem habere corpus æreum seu *loricam* triplicem amoris Dei, proximi et sui ipsius. Item triplicis justitie, legalis, communitivæ, vindicativæ. 2^o In capite *galeam* pure intentionis soli Deo placendi, et justitiam administrandi, ut sic contra respectus humanos defensi sint. 3^o In manibus *chirothecas* ferreas, id est, firmum decretum non acceptandi munera, que excecant prudentes, et subvertunt corda justorum. Qui autem excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. ISAIA XXXII. 4^o *Hastam* quoque partim dividat per justitiam communitivam, cuius tribuendo jus suum: partim repellat eos, qui corpori Christi, id est, reipublice damnum inferre moluntur. Que omnia ostendatur, accurate a defuncto fuisse observata, ut adeo cum veritate dicere potuerit: *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo, et expertus sit verificari illud* SAP. VIII. *Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes*.

PRO MERCATORE.

XVIII. Ex occasione thematis: *Simile est Regnum colorum homini negotiatori querenti bonas margaritas*. MATTH. XIII. ostendi potest, quam bene negotiatoris officio functus sit. Et 1^o quod bonas et veras margaritas emerit, nempe virtutes solidas, quas non tantum tempore prosperitatis, sed etiam adversitatis exercebat. 2^o Quod non unam duntaxat, sed multas et varias emerit, precipue timorem Dei, justitiam in emendo et vendendo, liberalitatem et misericordiam erga pauperes, constantiam et patientiam in adversis, quarum actus enumerari possunt. 3^o Quod illas margaritas prodenter non nudo aut hominibus qui vilissimum vana laudis pretium offerunt, sed Deo, qui integrum Regnum coeleste pro iis offert, per pristinam intentionem vendiderit: unde merito post mortem jam expertus est, quod de muliere sapiente PROV. XIII. dicitur: *Gustavit et villi, quia bona est negotiatio ejus*.

XIX. Ex occasione thematis: *Dedit omnia sua, et comparavit eam*. MATTH. XIII. ostendi potest. 1^o Quam pretiosam margaritam, nempe Regnum colorum emerit, quod merito assimilatur margarite propter splendorem (visionis beatificæ) virtutem corroborandi et saluandi animam per delicias celestes, et decus, quod Beatis affert, juxta illud Ps. LXXXI. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*. 2^o Quo pretio emerit, scilicet se et omnia dando juxta consilium S. Aug. in lib. de Spir. et anima. «Ecce venale est regnum Dei; eme, si vis; nec multum existimes de re magna propter prelii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli querere quid habeas, sed qualis sis: res ista valet tantum, quantum es tu, te da, et habebis illam. Sed malus sum, (inquies, et forte me non accipiet)? Dando tibi bonus eris.» Ostendatur proin, quomodo defunctus se dederit, scilicet totam suam voluntatem divine conformando, juxta monitum Thom. Kemp. I. III. c. XXXVII. «Dixi tibi sæpissime, et nunc iterum dico; relinquere te, resigna te, et frueris magna interna pace; da totum pro toto, et habebis me.»

PRO OPIFICE.

XX. Ex occasione thematis: *Voca operarios, et redde illis mercedem*. MATTH. XX. ostendi potest. 1^o Quam fideliter et diligenter in vinea Domini operatus sit defunctus, dum scilicet vineam anime sue diligenter circumfodit per humilitatem: pampinos et palmites potentiarum suarum alligavit ligno crucis, id est, Christo, et mandatis illius: superflua germina inutilium desideriorum diligenter tempore suo amputavit per mortificationem: botro virtutum suarum subiecit torculari per patientiam, sique vinum vere solidæque internæ lætitiæ Deo et sibi create expressit. 2^o Quam largam mercedem accepit, scilicet denarium continentem tres partes ad summam felicitatem pertinentes, associationem Sanctorum, adimpletionem desideriorum, amotionem malorum. Itaque Auditores ad gratulationem talis mercedis, similemque in operando fidelitatem et industriam excitandi.

XXI. Ex occasione thematis: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari*. JOAN. IX. ostendi potest, quomodo defunc-

tus de die laboravit, nimirum, quia laboravit, dum sol divine Justitiæ ei per gratiam illuxit, seu quia opera sua in statu gratiæ semper peragere studuit. 2^o Quia laboravit, dum dies hujus vite suo occasio merendi duravit, semperque illud Eccl. IX. ob oculos habuit: «Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.» Quare cum, teste Salomone Eccl. II. *Dulcis sit somnus operanti, gratulandum erit defuncto, et requies sempiterna apprecanda*.

XXII. Ex occasione thematis: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem*. Eccl. II. ostendi potest. 1^o Quam vere dicatur, defunctum, etsi per totam vitam assiduus fuerit in laboribus, modicum tamen laborasse, quia teste: Dav. Ps. LXXXIX. *Mille anni ante oculos tuos (Dei) tamquam dies hesternæ, quæ prætereunt*. 2^o Quam multam requiem inveniit, illam scilicet, de qua S. David Ps. CXXXVI. dixit: «Cum deleverit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.» Illam, de qua Deus Apoc. IV. dixit: «Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo dicit Spiritus, quoniam requiescent in laboribus suis.» Unde dicit jam defunctus ex sepulchro ad suos, quod olim S. Cassianus Eduæ sepultus S. Germano Altbisiodorensi Episcopo eum querenti: Quid agis hic charissime frater? Respondit: «Dulciter in pace quiesco, et adventum Redemptoris expecto.»

XXIII. Ex occasione thematis: *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. I. Cor. III. dici potest, Deum in recipiendis ad eorum Sanctis facturum, quod olim Cato Censorius, quando alicui civitatis iura concedere volebat, fecit, dum scilicet manum sibi a candidato porrigi voluit, quam si callosam et laboribus obrictam aspexit, in civem eum assumpsit: secus si tenellam et politam vidit. Id sane S. Gregorius hom. XXXV. in Evang. indicavit, dum dixit: «Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.» Hinc ipse Christus in laboribus erat a juventute sua. Ostendatur dein, etiam defunctum fuisse in iis ita, ut jure cum S. Paulo II. THESS. II. dicere posset: «Ipsi enim scitis, quemadmodum oportet imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatione die ac nocte operantes, ne quem

vestrum gravarem. » Merito ergo sperandum, quod, cum magni fuerint defuncti labores, magna quoque illius merces sit futura.

PRO RUSTICO.

XXIV. Ex occasione thematis: *Simile est regnum colorum thesauro abscondito in agro.* MATTH. XIII. dici potest fuisse olim rusticum, qui, ut filios suos ad laborem incitaret, in agone eos ad se vocavit, dixitque in vinea sua thesaurum latere, quem post mortem suam ad eum pertinere velit, qui primus eam effodisset, unde filii post mortem parentis totam vineam magno labore circumfodientes, thesaurum quidem nullum repererunt, sed vineam egregie circumfodiendo, magnum ex ea lucrum fecerunt. Inferatur deia, similis modo Deum cum hominibus egisse, atque ut multos ad vitam rusticanam incitaret, manifestasse illis, quod regnum colorum simile sit thesauro in agro abscondito, id est, qui per labores in agro, ut oportet, exercitio maxime obtineatur, idque ob triplicem causam, quia scilicet ibi humilitas, auctoritas, et charitas maxime exercetur, quae omnia in defuncto et aliis per exempla probari possunt.

XXV. Ex occasione thematis: *Venite benedicti, et possidete paratum vobis regnum.* MATTH. XXV. narrari potest a majoribus nostris rusticorum officium sic representatum fuisse. Pingebant imprimis Pontificem cum toto Clero, et subscribebant: « Ego oro pro vobis omnibus: » in altero latere pingebant Caesarem et alios principes armatos cum hac inscriptione: « Ego defendo vos omnes: » juxta hos pictus erat rusticus saccum farinae plenum in humeris portans cum hoc lemmate: « Ego alo vos omnes: » tandem et mortem juxta hos depinxerunt dicentem: *Ego devoro vos omnes.* Inferatur ex hoc, quanta spes concipi queat, quod defunctus illam vocem: *Venite benedicti*, etc. auditurus sit, ut cui vere Christus dicere possit: « Esurivi, et tu dedisti mihi manducare agros colendo: sitiivi, et tu dedisti mihi bibere (vineas curando): » nudus eram, et tu vestivisti me. » pecora pascendo, et custodiendo: a quibus pelles et lana habentur. Quomodo proin et ipsum Christus pane et nectare Angelorum pasturus, et glorie veste circumdaturus sit.

XXVI. Ex occasione thematis: *In sudore vultus tui vesceris pauperum.* GEN. III. narrari potest, quod, cum S. Franciscus quondam nudus et vili tunica tectus incederet, frater ipsius carnalis per modum joci ab eo petierit, ut pro crucigero sudorem venderet: cui S. Franciscus respondit: « Ego sudorem meum non vendo hominibus, sed Deo. » Inferatur deia, idem videri defunctum hodie dicturum, ut qui sciat, quam pretiosus sit sudor laborantium in conspectu Dei, uti B. Virgo quondam significavit, dum sudorem laborantium fratrum crystallino vasculo exceptum fratri cuidam ostendit, dixitque, se ideo eum collegisse, ut eum conspectu Dei, qui summe eodem delectatur, representet. Imo idem etiam miraculo pulchro confirmavit, dum post mortem Menae Monachi, qui ex obedientia hinc inde discurrendo vitam transegerat, balsamum odoratissimum exsudare fecit. Excitentur proin Auditores, tum ad gratulationem, tum ut currant in odorem bene olentis sudoris hujus.

XXVII. Ex occasione thematis: *Inque fratres mei stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* I. Cor. XV. narretur, quod, cum Catus Furius Clesinus ex parvo agello plures longe fructus, quam alii ex magnis agris reportasset, accusatus a Spurio Albino de veneficio, sua instrumenta rustica secum ad senatum attulerit, eaque ante se projiciens, haec tandem esse instrumenta veneficii sui dixerit. Inferatur, etiam idem videri defunctum facere, et si quidem copiosos fructus, quos in hac altera vita reportavit, quis miretur, rustica sua instrumenta, quibus ad laborem usus est, ostendere, dicereque, ea esse possissima media, quibus totum fructum obtinuerit. Hinc et Apollo Aglaam Isophidicum felicissimum in terra dicebat, eo quod in Arcadia in vili, sed frugifero praedio vixerit. Et jam olim magis bonus agricola, quam miles laudabatur, dicebaturque: « Ein Ackerf-Mann, ein wackerer Mann. (Quia:) Ackerf-Mann erwirbt. Kriegs-Mann verdirbt. » Hinc et Virgilius II. Georg.

O fortunatos nimium, bona si sua nossent
Agricolae, quibus ipsa procul discordibus arvis,
Fundit humo facilis victum justissimus tellus.
Rura mihi, et rigui placeant in vallibus annes.

XXVIII. Ex occasione thematis: *Cepitque Nove vir agricola exorere terram, et plantavit*

vineam. GEN. IX. dici potest Deum voluisse Noe primum esse agricolam, ut rustici haberent exemplar vitae rusticanae, et tres ab eo virtutes rusticorum proprias discerent. 1^o *Pietatem et timorem Dei*; nam teste S. Scriptura GEN. VI. « Noe erat vir justus atque perfectus et invenit gratiam coram Domino. » Hinc rustici praecipue sibi dictum credere debent illud MATTH. VI. « Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. » 2^o *Sedulitatem*, quam arca confectio ostendit. Eadem rusticis necessaria, nam « Sedula manus dilata, » ut Salomon ait Prov. IV. « egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat. » Hinc Columella I. L. c. II. dicit, agros se ut debitores habere, qui nil dant, nisi moneantur per culturam. 3^o *Constantiam*; non enim curavit irrisiones vicinorum aut laborum difficultatem; sic et rusticus perseverans usque ad finem, salvus erit. « Nemo enim mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei, » juxta Christi LUC. IX. testimonium. Ostendatur tandem, quomodo haec omnia defunctus observavit.

XXIX. Ex occasione thematis: *Pater meus agricola est.* JOH. XV. dicatur, Christum voluisse Patrem suum vocare agricolam, ut discerent rustici, conditiones boni laboris: nam ut Pater caelestis usque modo operatur, nunquam otiosus; ita et rustici qui ante omnes sibi applicare deberent illud Job c. V. *Sicut avis ad rotatum; ita homo ad labores natus est.* Atque adeo pro symbolo habere deberent illud Severi Caesaris, *Laboremus.* 2^o Ut Pater aeternus operatur omnia in omnibus; ita et rusticus diligenter cum suis domesticis cooperari et invigilare debet, ut de ipso dici possit, quod Salomon de forti muliere Prov. XXXI. dixit: *Consideravit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit.* 3^o Ut Pater aeternus universa propter semetipsum operatus est teste Salomone Prov. XVI. Ita ad ipsum rusticus facere debet sequendo consilium S. Pauli I. Cor. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ostendatur proinde quam accurate haec omnia observavit defunctus.

PRO MENDICO.

XXX. Ex occasione thematis: *Beati pau-*

peres Spiritu, quoniam ipsorum est regnum colorum. MATTH. V. dici potest, dupliciter generis esse pauperes, *coactos*, qui aegre ferunt paupertatem, atque adeo per fas et nefas ab ea liberari student; et *voluntarios* seu spontaneos, qui aut altro omnibus bonis se exuunt, aut certe si prius jam per Dei voluntatem iis exuti sint, statu suo contenti, Deo gratias agunt, atque in paupertate sua, quam in divitiis vivere malunt. Dein probetur, merito his regnum colorum promitti; tum quia propter Deum libenter dimittunt divitias terrestres, atque adeo pro his caelestes accipere merentur, juxta illud MATTH. IX. « Omnis, qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me; centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit; tum quia talis radicem potissimum malorum operum, aut impedimentum fortissimum bonarum operationum efficitur removet, nempe divitias de quibus S. Paulus I. Tim. I. dixit: « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas. » E contrario vero paupertas occasionem ad omnes virtutes subministrat. Hinc Eccl. c. XXXI. dicitur: « Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. » Denique explicetur, quantopere hanc paupertatem Spiritus dilexerit defunctus pauper, et quomodo contentus statu suo in magna sanctitate et patientia vixerit.

XXXI. Ex occasione thematis: *Scio tribulationem et paupertatem tuam, sed dives es, Aroc. II.* dicatur, quaequam vere divitiae sint, nempe non ille materiales, cum illis, qui has possident plerumque illud Aroc. I. conveniat: « Tu dicis, quia dives sum, et locupletatus, et nullus ego, et nescis, quia miser es, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus; » verae ergo divitiae sunt virtutes et bona opera, quia haec praecipue habent conditiones ad veras divitias requisitas; nempe 1^o *Utilitatem* ad omnia impetranda; nam pius, teste S. Paulo I. ad Timoth. IV. *ad omnia utilis est, provisionem habens vitae et per consequens etiam illorum*, quae necessaria sunt ad hanc vitam. 2^o *Stabilitatem*, ut scilicet non possint possessori invito auferri, quam conditionem vel maxime ha-

bent virtutes, uti Christus MATTH. VI. indicavit dicens: « Nolle thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo et linea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in celo, ubi neque erugo, neque linea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. » 3^o *Auferibilitatem* in alteram vitam, qua sola convenit virtutibus juxta illud AROC. XII. *Opera enim illorum sequentur illos.* Cum e contrario de divitiis materialibus dicatur: *Dives, cum dormierit, nil secum auferet, aperiet oculos suos, et nemo aderit ei.* Ostendatur proinde, quam studioso has divitias veras congregare studuerit defunctus, illud S. August. ser. v. de verbis Apostoli semper in mente habens: « Non tibi displiceat paupertas tua, nil potes ea ditius invenire. Vis nosse quam locuples sit? Celum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? Ut ad regnum colorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat. » Excitandi proinde Auditores, ut et ipsi deinceps has divitias congregare studeant, juxta illud S. Pauli I. TIMOTH. VI. « Divitiis hujus seculi praecepe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui praestat nobis omnibus abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare, sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. »

XXXII. Ex occasione thematis: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae.* LUC. XVI. dici potest contingere divitiis male viventibus et pauperibus justitiam et pietatem amantibus post hanc vitam, quod falconi et gallinae evenire solet: sicut enim falco, dum vivit, ab omnibus, et praecipue principibus, amatur, honoratur, in manibus portatur, optimis cibus reficitur, post mortem vero in finetum abjicitur sine honore; ita divites in divitiis suis confidentes in hac vita quidem honoribus et voluptatibus abundant, induunt purpura et bysso, et epulantur quotidie splendide; sed post mortem in finetum inferni abjiciuntur, juxta ejusdem Christi I. c. testimonium: *Mortuus autem est et dives, et sepultus in inferno.* Sicut autem e contrario gallinae, dum vivunt, a nemine honorantur, et ipsemet in fineto, et plateis grana et victum quaerere coguntur; post mortem vero purgantur, lixantur, condiuntur aromatibus;

ponuntur in argentea vel aurea patina, junculo dulci merguntur, traduntur manibus dapiferorum, portantur ad mensam Principis, ac in ventre ejus ac aliorum hospium sepeliuntur; ita pauperes in hac vita quidem non honorantur, sed magno labore victum suum quaerere coguntur, post mortem vero animae illorum igne charitatis et patientiae excoctae et aromatibus aliarum virtutum condite, Angelis velut dapiferis caelestibus traduntur, ut Deo offerantur, et ab eo in sinum receptae perfectissime ipsi uniantur, atque aeternum in eo requiescant. Ostendatur deum, quomodo haec omnia etiam ipsi defuncto probabiliter contigisse credatur, atque adeo is merito illud Siracidis c. XI. semper ab oculis habuerit: « Confide in Deo, et mane in loco tuo; facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. »

PRO SERVO.

XXXIII. Ex occasione thematis: *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae.* PS. CXV. ostendatur, quam vere dicere poterit defunctus: *Ego servus tuus*, quia scilicet semper servavit voluntatem et mandata Dei, a qua observatione aliqui servum dictum putant, et ideo etiam merito dicere poterat: *Et filius ancillae tuae*, nempe B. Virginis, quae de se dixit LUC. I. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* 2^o Quare pro aliis dominis Deo servire elegerit, illud S. Pauli COLLOSS. III. ob oculos semper habens: « Servi obedite per omnia dominis corporalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis vestri timentes Deum, » quia scilicet in Deo potissimum conditiones ad optatum dominum requisitas invenit, scilicet summam sapientiam, et summam bonitatem, qua pro levi servitio infinitum et amplissimum praemium largitur. Eum in finem narrari potest, quod Vincentius Belvacensis in speculo morali narrat de famulo, qui diu fidelissime domino serviverat, sed, cum in morte vel ad quadrantem ab eo liberationem a doloribus petisset, isque hoc se non posse respondisset, graviter ingemuit, delinquitque, quod tam diu tali domino serviisset, a quo neque per quadrantem a morbo possit liberari, et non potius illius servitio se impenderit, qui ipsum ab omnibus malis liberare, et infinitis bonis ditare potuisset.

XXXIV. Ex occasione thematis: *Qui putas est fidelis servus et prudens?* ostendatur, quam perfecte omnes servi condiciones defunctus impleverit. Et 1^o quidem diligenter observavit *promptam obedientiam* juxta illud S. Pauli COLLOSS. III. « Quodcumque feceritis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. » 2^o *Summam fidelitatem*: quia ita servavit, ut jure cum Jacob dicere posset GEN. XXX. « Tu nosti, quomodo serviverim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua: modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum. » 3^o *Maximam prudentiam*, quia domino carnali, non ut homini, sed ut Deo servivit, atque adeo illud S. Pauli EPH. VI. observavit: « Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi. » Unde merito ei dici poterat illud MATTH. XXV. « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. »

XXXV. Ex occasione thematis: *Ecce intellegit servus meus, et exaltabitur, et sublimis erit valde.* IS. LV. instituat comparatio defuncti cum Joseph Patriarcha, et in tribus ostendatur potissimum similis fuisse. 1^o *In fidelitate*, quia noluit Joseph tangere uxorem Putipharis; defunctus autem nec uxorem, nec alia bona sui domini injusta contraactione usurpavit. 2^o *In charitate*, quia scilicet Joseph Pharaonis domum perinde, ac si sua esset gubernavit, et auxit; defunctus vero simili industria commodum sui domini procuravit. 3^o *In patientia*, quia, ut Josephus, omnes injurias seu correctiones domini sui, aliaque onera servitio annexa generose supportavit, ut merito sperari possit, quod, sicut in his tribus Josephum imitari studeat; ita etiam in exaltatione eidem similis sit futurus juxta promissionem Dei in themate factam.

PRO ANCILLIS.

XXXVI. Ex occasione thematis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* LUC. I. ostendi potest, quam vere hoc nomen promerita sit defuncta propter fide-

tatem triplicem, a qua apud Hebraeos nomen ancillae derivatum est. Et 1^o quidem propter fidelitatem *intentionis*, qua in domino suo et domina non hominem, sed Deum aspexit, ad exemplum S. Catharinae Senensis, qua in patre Christum, in matre B. Virginem, in aliis domesticis Apostolos consideravit, et honoravit. 2^o Propter fidelitatem *servitii*, qua omnes officii sui partes fideliter implevit, et commodum familiae unice promovere studuit, sicut servavit illud Apostoli ad Tit. II. « Servas dominis suis subditas esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem ostendentes, ut doctrinam Salvatoris, nostri Dei ornent in omnibus. » Ab hac fidelitate nonumquam acceperunt, quia matrimonium et conjuges in officio suo obeundo juvant, et conservant. Hinc Marcus Crassus ipsos viva instrumenta oeconomiae vocare solitus est. Aristoteles vivam, sed separatam partem domini. Et olim, teste Pierio, quando prima vice domum ingrediebantur, pater familias palmarum nucleos, frumentum, aureamque et argenteam monetam super caput effundebat, ut hoc facti ostenderet, quod officium novi servi futurum sit, totis viribus commodam familiae promovere, efficereque, ut tam in rebus ad victum pertinentibus, quam in divitiis pater et mater familias cum aliis domesticis necessaria habeant. 3^o Propter fidelitatem *adhaesionis* seu *constantiae*, qua videlicet dominorum suorum defectus cum charitate supportabat, eorum honorem et famam unice defendebat, et tam in prosperis, quam adversis in eorum amore et servitio perseverabat, ita ut jure mereretur audire ab illis, quod Christus Apostolis LUC. XXII. dixit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, ut edatis et bibatis super mensam meam;* idque multo magis dicturus fuerit ipse Christus post mortem illius, utpote qui omnia, quae dominis suis praestitit, servitia sibi facta reputet:

XXXVII. Ex occasione thematis: *Respexit humilitatem ancillae suae.* LUC. I. Ostendi potest, quam humilis ancilla fuerit defuncta, triplici potissimum exercitio humilitatem suam ostendens, nempe 1^o Humilitate *intentionis* seu *propositi*, dum scilicet se ipsam vili pendit, et minimam reputavit, ideoque statu suo contentissima vixit, assiduo in ore habens illud S. Davidis II. Reg. cap. VI. « Ludam et vilior fiam plus, quam factus sum, et ero humilis in oculis meis, et cum

ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. » 2º Humilitate *abjectionis*; quia abjectissima servitii sui opera cum magna alacritate, diligentia, atque constantia peragebat, illud S. Davidis iterum identidem animo volvens Ps. lxxxvii. « Elegi abjectus esse in domo Dei mei (id est, propter Deum) magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. » 3º Humilitate *subjectiois*; qua non tantum domino, sed etiam aliis domesticis se subieciat, et mandata eorum, et voluntates prompte exsequatur, injurias et contumelias, et irrisiones ab iis factas acquissimo animo portabat. 2º Ostendatur, quomodo Deus nunc humilitatem hanc ancillae suae respexerit, eamque inter amantissimas suas sponsas, coelique Reginae assumpsit; ita ut vere ipsa nunc dicere possit: « Ecce beatam me dicent omnes generationes. »

FONS XI.

De variis generibus mortis.

Etiam iste fons si rite usurpetur, copiosam valde materiam suppeditabit pro funebribus exhortationibus, ex quo tamen non nisi paucos conceptus pro exemplo afferam; inde enim non erit difficile plures alios invenire.

PRO PEREGRINO.

I. Itaque quia non pauci extra patriam mori solent in ipso itinere vel pegrinatione, ex occasione thematis: *En ego hodie ingredior viam universae carnis* Jos. xxiii. ostendendum, quod, cum, ut S. Augustinus sapienter advertit, vita nostra nil aliud sit, quam cursus assiduus ad mortem; vel, ut S. Gregorius ait, a tumulto, id est, ventre matris, ad tumultum, id est, sepulchrum pergamus, via universae carnis recte mors dicatur, via sane *difficilis* (quia mors, teste Aristotele, est omnium terribilissimum) *angusta* (propter angustias ex doloribus, et ipsa mortis appropinquatione oriri solitas) *et periculosa* (propter insidias et oppugnationes Daemonum illo tempore vehementiores). 2º Quod merito quisvis, qui per hanc viam incedere vult, providere sibi debeat de necessariis ad hoc iter, et 1º Quidem, si putet se adhuc debilem esse ex aliquo morbo, aut humoribus malignis obnoxius sit, prius

se purgare per aptam medicinam; deinde bonum viaticum et comestum procurare et assumere, et tandem bonum Comitum adsciscere, quae omnia fiunt per Sacramenta poenitentiae, et extremo Uctionis, rite suscepta, communionem religiose peractam, et B. Virginis, ac aliorum Sanctorum operam ferventius eo tempore imploratam: ostendatur proin, quomodo haec omnia defunctus observaverit, atque adeo merito spes concipi possit, quod cursum suum feliciter absolvit, de qua proinde illi gratulandum. Vide Pistor. conc. funeb. xxvi.

II. Ex occasione thematis: *Dies peregrinationis vite meae pauci et mali*. GEN. XLVII. ostendendum. 1º Quod recte vita nostra peregrinationi comparetur. Primo quia hic non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus HEBR. xiii. Et, ut Cicero recte advertit, ex hac vita, tanquam ex hospitio discedimus. Secundo quia sicut peregrini nihil secum in hospitium afferunt, aut ex eo auferunt, nisi pauca propria bona; ita et nos nihil intulimus in hunc mundum, et nil auferemus ex eo, nisi sola opera, quae propria bona sunt, et nobiscum in alteram vitam auferre licebit. Tertio quia sicut modicus victus et commoratio charo plerumque praetio solvi debet hospiti a peregrino; ita non nisi severa ratio et solutio manet post hanc vitam; « statutum est enim omnibus hominibus semel mori, et post hoc iudicium. » 2º Ostendatur, quam merito se quisque bene praeparare debeat ad hanc peregrinationem; baculum *spei* assumendo, quae non confundit, teste David Ps. xxx. *pallium* patientiae contra varias tempestates, *vasculum* temperantiae, *caleos* seu *sandalia* constantiae, quia in *Christianis*, teste S. Hieron. in Epist. ad Furiam, *non quaeruntur initia, sed finis*; quae omnia facile defuncto applicari poterunt. Vid. Pistor. conc. fun. 27.

PRO REPENTINA MORTE MORTUO.

I. Ex occasione thematis: *Beati illi servi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*. LUC. XII. ostendi potest. 1º Quam graves vigilandi causas omnes homines habeant, quia scilicet hora, qua non putatur, Filius hominis veniet; unde recte Th. Kemp. l. I. c. xxiii. ait: « Ah stulte, quid cogitas, te diu victurum, quam nullum diem habeas hic securum? Quam multi decepti sunt, et ins-

perato de corpore extracti? Quoties audisti a dicentibus: quia ille gladio cecidit, ille submersus est; ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obrigit, ille ludendo finem fecit. » Et vero, annon et ipse defunctus exemplo suo id confirmavit? 2º Quid sit vigilare, nimirum, ut sint « lumbi nostri praecincti, » id est, semper paratus quisque sit obviare Domino venienti: quod fit, si vitam bonam, et Dei voluntati conformem duxerit. Dein ut sint « lucernae ardentes in manibus. » id est, bona opera, de quibus MATTH. c. v. Christus dixit: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut vident opera vestra bona, » etc. Ostendatur dein, quomodo haec omnia defunctus observaverit, quamque adeo spes bona merito de ipsius felici obitu concipi queat. Vide Drex. in prod. c. xx.

II. Ex occasione thematis: *Videte, vigilate, et orate, nescitis enim, quando tempus sit*. MARC. XIII. dici potest, tristem quidem esse casum, qui tam repente defunctum abtulit, sed tamen vel ideo tolerabilem, quia, licet mors repentina, non tamen etiam perinde improvisa acciderit, hanc enim improvisam mortem solum timendam esse, ut vel ipsa Ecclesia testatur, dum in litaniis orat. « A subitanea et mala morte, libera nos Domine. » Contra hanc autem optimum remedium a Christo per supradicta tria verba oblatum esse. Nam primo, per verbum *videte* indicatur, mortem sepius, antequam veniat, praemeditandam, cogitandamque, quod verissima sit, quoad substantiam, incertissima quoad horam, et acerbissima quoad praesentiam. 2º Per *vigilate* intelligitur *bona vita*, quae est optima dispositio ad Domini adventum expectandum. 3º Per verbum *orate* suadet oratio velut optimum medium ad bonam vitam impetrandam. Vid. Drex. in prodr. cap. I. § xxvi. et xl. et xlvi.

PRO MULIERE IN PARTU MORTUA.

I. Ex occasione thematis: *Multiplicabo arummas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios*. GEN. xvi. ostendi potest, quare Deus tam grave onus mulieribus imposuerit, et quam patienter illud defuncta tulerit, etiamsi illi omnino succubuerit. Nimirum 1º In poenam transgressionis divini mandati ab Eva facte. Hinc omnibus mulieribus dicitur: « In dolore paries filios; » atque adeo illae omnes dicunt illud MICH. vi. « Iram

Domini portabo, quoniam peccavi ei. » 2º Ad majorem amorem matris erga liberos, et vicissim (nam juxta commune proverbium, *uas schmerzts, das hertzts*) ingenerandum. Hinc Tobias etiam filium ad honorandam et amandam matrem adhortaturus, hoc potissimum argumento usus est: « Memor enim esse debes quae, et quanta pericula passa sit propter te in utero suo; » sed et mater Machabaeorum II. MACC. vii. non aliud argumentum magis efficax putabat, dum filium ad constantiam hortatura dixit: « Fili mi, miserere mei, quae te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi, et alui, et in retatem istam perduxi. » Unde facile apparet, quantopere defuncta filium suum de coelo dilectura sit, ut quae illum non solum cum dolore communi, sed mortis angustias peperit; « Majorem enim charitatem nemo habet, quam qui animam suam ponit pro amicis suis. »

II. Ex occasione thematis: *Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quae ducit Ephratam, haec est Bethlehem*. GEN. xxxv. ostendi potest defunctam merito videri Racheli comparari posse. 1º Quia erat pulchra ut Rachel, non tantum corporis, sed etiam, et multo magis animae pulchritudine. 2º Quia sicut Rachel erat patiens in doloribus parturientis sui, atque adeo dici poterat de utraque illud ISAIE LIII. « Sicut ovis (hoc enim significat nomen Rachel) ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tonante se obmutescet, et non aperiet os suum. » 3º Quia illi sicut Racheli vere dici poterat: « Noli timere, quia et hunc habebis filium, » non tam in hac, quam in altera oim vita; hoc ipso enim, quod ab ipsa Benoni, id est filius doloris nominatus fuerit, ipsaque dolores suos pro ipso obtulerit, meruit, ut etiam Pater illius caelestis nomen illius per gratiam suam mutet, et Benjamin, id est, filium dextrae vocet, faciatque. 4º Quia ut Rachel in Ephrata (seu ubertate) quae alio nomine Bethlehem seu domus panis vocatur, sepulta. In illo nempe loco, de quo S. David Ps. xxxv. dixit: « Inebriantur ab ubertate domus tuae; » ita enim sperare vita ejus innocenter transacta jubet; quid ergo aliud superest, quam ut ei titulus et memoria aeterna in animo sicut Racheli rigetur, ut in ipsa quoque verificetur illud Ps. xl. « In memoria aeterna erit justus, ab auditione mala non timebit. »

VII. Ex occasione thematis: *Mulier, cum*

parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. JOAN. XVI. ostendi potest 1º Quantas dolores et tristitiam passa sit defuncta in suo puerperio, cum ad communes dolores etiam angustie mortis accesserint, ita ut merito cum Christo dicere potuerit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Quanta tamen patientia et æquanimitate hos omnes dolores et angustias sustinuerit. 2º Quantum gaudium nunc percipiat in cælo, quod hominem genuerit, id est, causa fuerit, ut per infantem (ut sperare licet, et ipsa, quantum est in se, totis viribus procurare conabitur) tot bona, et tantum decus mundo afferantur: tanta ipsi infanti gloria in cælo, Deo autem et Sanctis honor, laus in omnem æternitatem, procreetur, atque ita dici potest, eam gaudere, quia homo naturalis constans tam nobili corpore et anima, supernaturalis et spiritalis tam perfecte hominis ad statum super-naturalem elevati officium sit subiturus: et tandem celestem vitam omnem celestem cum ipsa per totam æternitatem victurus sit natus. Quam ob causam merito illi congratulari, et congaudere decet.

PRO OCCISO.

VIII. Ex occasione thematis: *Et percussit eum in inguine, et mortuus est.* II. REG. III. dici potest contigisse defuncto, quod Abner olim a Joab, sicut enim hic Abnerum seorsum duxit, et inspirato in inguine percussit, et occidit; ita mortem duxisse defunctum in locum, ubi occisus est, et fatale illud telum illi infixisse. Hinc sicut David dixit ad populum et ad Joab, qui ipsum occiderat: « Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exequias Abner. » Ita idem suo modo Deus ad Auditores dicit, jubetque scindere vestimenta per commiserationis affectum (sic enim membra invicem condolere solent) accingi saccis per varia opera penitentiae et humilitatis suscepta. Et denique plangere per orationes varias oblatas. Addet subinde Exhortator elogium, quale David Abneri pronuntiavit: « Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner » (et qui occisus est, quia forti animo tulit injustam necem). Manus tuæ ligatae non sunt (quia semper vel ad Deum per preces, vel

ad pauperes per eleemosynam, vel ad laborem, ad exercitium extensa), pedes tui non sunt compedibus (peccatorum) aggravati. Hinc in via mandatorum cucurristi.

IX. Ex occasione thematis: *Homo quidam descendebat de Jericho, et incidit in latrones.* LUC. X. dicatur per hunc hominem recte defunctum adumbratum fuisse, utpote qui et ipse incidit in latrones (occisores suos, aut etiam tortores in purgatorio) qui despoliarunt eum, quia opibus, amicis, honoribus privarunt, et plagis (id est, vulneribus lethalibus aut penis in purgatorio) impositis abierunt semivivo (nam licet secundum corpus occisus sit, tamen secundum alteram dimidiam partem, animam scilicet adhuc vivit, vivetque in æternum, uti vita bene transacta sperare jubet) relicto. Inferatur proin, quam æquum sit, ut et A.A. Samaritanum imitentur, et misericordia moti alligent vulnera per vinculum charitatis, et oleum operum misericordiae, vinumque consolationis affundant, et in stabulum, id est, locum quietis aut sepulchrum ducant, simulque duos denarios orationis et Sacrificii Angelis eorum in manus dent, rogentque, ut eorum eorum habeant, ut cito a vulneribus liberati, in patriam suam pergere valeant.

X. Ex occasione thematis: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* MATTH. VIII. ostendi potest, quam merito sperari possit occisum, beatitudinem æternam consecutum fuisse, eo quod vere ob justitiam occisus sit, dum scilicet mortem æquo animo toleravit, morique maluit, quam quidquam contra justitiam agere. 2º Quia etiam inimicis ex corde ignovit, animo magis, quam lingua proferens illud Christi: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* 3º Quia, dum justitia protegi volebat, odium inimicorum incurrit, atque adeo omnino occisus est. Itaque merito audivisse modo credendum est: « Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. » Excitandi proin A.A. ut et ipsi congaudeant, et congratulentur.

PRO SUBMERSO.

XI. Ex occasione thematis: *Et preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam.* JOH. II. dici potest, defuncto fere id,

quod Jonæ evenit, contigisse. Nam et ipse missus in mare tribulationum, quæ tempore mortis plerumque obruere solent, devoratus est a morte, et in sepulchro velut ejus venter latebit, usque ad diem judicii. Tunc enim dicit Dominus morti, ut evocet illum iterum, et tum primum incipit prædicare laudes et misericordias Domini. Explicentur hæc omnia fusius, et in subsidium assumatur oratio Jonæ c. II. cit. Et pro coronide excitentur Auditores, ut et ipsi non desperent, ubi in mare tribulationum projecti fuerint, sed ad Dominum ex corde clament, atque ab eo auxilium sperent.

XII. Ex occasione thematis: *Sumpsit fiscellam scirpeam, posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carcere ripæ fluminis.* EXON. II. dicatur juveni vel infanti submerso tristem quidem casum evenisse, sed merito parentes solari debere, quod non filia Regis, sed ipse Deus cæli terræque summus Imperator eum in aulam suam transtulerit, ibique inter alios suos deinceps vivere voluerit, ubi et ipsis et toti populo suo plus, quam olim Moyses Israelitis profuturus sit precibus suis. Instituenda ergo fusior comparatio inter Pharaonis et Dei potentiam et Regnum utriusque, atque inde occasio sumenda Auditorum, et præcipue parentum ad gaudium et gratulationem excitandi.

PRO FULMINE TACTO.

XIII. Ex occasione thematis: *Descendit ignis de caelo, et devoravit illum.* IV. REG. I. dici potest, fuisse quidem defunctum etiam ab igne de caelo descendente devoratum, sed hoc ex capite feliciorum esse, quam fuerit Princeps ille quinquagenarius, quod a meliore igne, quam iste fuerit assumptus, scilicet ab igne charitatis divina, unde ostendatur. 1º Quantopere defunctus Deum dilexerit, enumerando varios actus dilectionis, præsertim observationem mandatorum Dei juxta illud JOAN. IV. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Et hilaritatem in adversis ex amore Dei tolerandis juxta illud CANT. VIII. *Aque multe non poterunt extinguere charitatem.* 2º Ostendatur, cum Deus a creaturis suis vinci se in amore non patitur, facile inde colligi posse, quantopere vicissim defunctum dilexerit, atque adeo merito credi posse, quod ignis hic absumens illum, fuerit

quodammodo currus Eliæ igneo curru similis, per quem in caelum evectus sit. Gratulandum inde potius illi, quod sic evectus sit, rogandumque, ut duplicem hunc spiritum seu gratiam Auditoribus reliquit, aut impetret, scilicet ut et ipsi sincere Deum amare, et vicissim ab eo amari mereantur.

FONS XII.

Ex variis doctrinis.

Etsi hic fons non videatur esse distinctus a prioribus, tamen si bene inspicatur, omnino distinctos conceptus, et quidem sat multos offert, cum innumere excogitari possint doctrine, quas velut a mortuis relicte proponi possunt.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Cumque convertertem me ad universa opera, que fecerant manus mee, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nil permanere sub sole.* ECCI. IV. dici potest, idem defuncto contigisse, et 1º quidem divitiæ, honores, voluptates, quas possidebat, explicari ostendique, quam nil, nisi vanitas et afflictio relicta fuerit. 2º Tamen dici potest, quod in hoc sapienter fuerit Salomone, quod præter hæc in collectione verarum divitiarum, honorum, et voluptatum sudavit, et in illis repererit consolationem animi, ad quam proin cum ipso querendam etiam Auditores sunt excitandi.

II. Ex occasione thematis: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* ROM. VI. narrari potest id, quod aliquando alicui virgini defunctæ contigisse memoratur, dum scilicet in judicio apparet, et non satis purgatam se videns, vehementer erubuit, multumque manibus textit, atque adeo inferendum, quod merito timendum sit, ne et hoc defuncto contigerit; verum adhuc levem esse hanc verecundiam et ruborem, si cum illa confusione, quæ in ultimo judicio secutura est, conferatur, eam enim triplici ex capite gravissimam fore. 1º *Ob majestatem judicantis,* quæ tunc extraordinaria apparebit. 2º *Ob multitudinem adstantium,* omnium scilicet hominum et Angelorum. 3º *Ob longitudinem æternæ durationis,* quæ ob causas non tantum manibus vultum operire volent, sed insuper intregros super se montes cadere optabunt. Moneantur